



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Sectio Qvarta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

teriti temporis memoriâ diseruciabitur, ignarus scilicet, Sapiens torquetur, tum propter neglectum temporis præteriti, Maffæus in Viâ Ignat. quoties diuinis mandatis & inspirationibus, quoties salutis, aut saltem maioris perfectionis occasione defuerit, quod frequenter deplorare solebat S. Ignatius, asserens, nullius mentem aut cogitationem capere posse, quantum obstaculi plerique mortalium obiicere soleant diuinæ gratiæ, quæ nos ad altissimum perfectionis culmen perduceret, si quantum ipsi misericordiæ est ad inuitandum, tantum nobis alacritatis esset ac promptitudinis ad obtemperandum.

Nec minùs futuri quàm præteriti temporis torquetur ignorantia. Quis enim nouit, an toties despecta salutis occasio in extremâ vitæ periodo homini sit occurrura? Nõnne verendum est potiùs, despectâ toties Dei misericordiâ, eiusque voluntate conculcatâ, ne tandem aliquando iusto furore excandescat, easque intentet minas, quas habemus in Prouerbiorum libro. *Vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui assiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum uobis id, quod timebatis, aduenierit. Quæ tametsi per se terribilia sunt, multò tamen horribiliora facit inuitabilis mortis necessitas (quam subiicit Ecclesiastes) dum hæc inter se connexa vehementiùs animum feriunt, Certa mors, & incerta salus.*

SECTIO QVARTA.

ECCLESIASTES.

VERSUS 8. Non est in hominis potestate prohibere spiritum, ^a nec habet potestatem in die

Aaaa 3

mor-

a Alia editiones habent: Non est potentia, Non est potens, Non est habens potestatem.

mortis, nec finitur quiescere ingruente bello,
neque saluabit impietas impium.

METRICA PARAPHRASIS.

QVAMVIS latentem carceris nostri specu
Lex frænet arcta spiritum,
Carnisque densas corpus obiiciat fores,
Ætasque firmet pessulo, &
Robur satelles stipet excubiis latus,
Neruoque multiplici liget;
Si fors supremum nuntians vitæ diem
Fatalis insonuit tuba;
Nulla emicantis compede abrupta impetum
Sufflaminare vis potest.
Sic fata poscunt lege fixa adamantinâ,
Auctorque fatorum Deus.
Simul urna motum Iudicis nomen citat,
Proferre non patitur diem.
Seu face ab imâ inglorium trahat genus,
Despectus, & capitis minor;
Ceras parentum siue fumosas crepet,
Situque nigra stammata.
Ne mihi tiaras, sceptrâ, regales toros,
Dominosque fasces ingeras.
Mors surda titulos calcât, & cervicibus
Stringit secures Principum:
Nec triste sceptri pondus, aut supercilli,
Fert cymba Tartarei senis:
Nec qui impotenti cuncta dominatu premunt,
Jus ferreæ dicunt neci.
Vbi nunc superbi Belus imperij caput?
Ninusque sceptro proximus?

Vbi turba Danaï regio imminens toro,
Deuota Diti victima?
Vbi tot fauillis Pergami clari Duces,
Quondam Gradiui fulmina?
Humiles vagantur inter umbrarum greges,
Nec dissidet cineri cinis.
Simul ac sarissam mors auernalem vibrat,
Bellumque nuntiat tuba;
Nec in recessu concaui mersum specus
Amica tutatur quies:
Nec si quadrigas scanderis cursu Iouis,
Trabale telum fugeris.
Fræna dracones Colchidis, cælum pete,
Metire cursus Icaris;
Emetientem nubium tractus vagos
Mors sæua præcipitem dabit:
Pennisque vulsis merget inferno lacu,
Prædamque figet æthere.
Si forsan animos impio impietas facit,
Ridetque fatorum minas,
Fas omne suctus ruere petulanti pede,
Legumque casses rumpere,
Ut fila arachnes armiger solet Iouis
Teretesque Marsus aper plagas;
Frustrà proteruus iura conculcat poli,
Seseque palpat improbus.
Nec vis reuellit ferrea casses necis,
Nec alpes vitat fuga.

PROSA

*Non longa
vita optan-
da, sed
mors beata.*
SI tam ineuitabilis est fatorum necessitas, & eâ lege
 nati sumus, vt vltimum naturæ tributum aliquan-
 do pendamus; illa nos inprimis cura sollicitos habe-
 re debet, vt, quod reliquum est vitæ, ex præscripto
 diuinæ voluntatis virtutisque concludamus. Neque
 tam cordi nobis esse debet, vt in longam desidemque
 senectutem vitæ fabulam protrahamus, quàm vt lætam
 huius fabulæ nanciscamur beatamque catastrophem.

*Vita cupi-
ditas plerif-
que nimia
est.*
 At plerisque hominum nihil æquè in votis est, quàm
 vt in hoc tumultuoso vitæ oceano quàm diutissimè ia-
 ctentur, & prout fortuna gubernaculum flexerit, modò
 aspero, modò tranquillo cursu ferantur: qui vt longis-
 simus sit, semper spè illis minor est, dum & cupidè vo-
 tis extenditur, & ferè sine ratione consumitur. Hinc illa
 quorundam tam ignaua tamque effeminata vitæ cu-
 piditas memoriæ prodita est, vt eam quauis etiam infamiâ
 & calamitate redemptam voluerint. Inter quos

*Val. Max.
lib. 9. c. 13.*
 Cn. Carbo magnæ verecundiæ est Latinis Annalibus:
 qui tertio Consulatu suo, iussu Pompeij in Siciliâ ad
 supplicium ductus, periit à militibus demissè & flebi-
 liter, vt sibi aluum leuare, priusquam exspiraret, liceret,
 quò miserrimæ lucis vsu diutiùs frueretur: eoque mo-
 ram traxit, donec caput eius sordido in loco sedentis

Valer. ibid.
 abscinderetur. Quid Brutus, qui fortitudinis famam
 aucupatus antè fuerat? quanto dedecore exiguum & in-
 felix vitæ momentum redemit? Nam à Furio, quem ad
 eum occidendum miserat Antonius, comprehensus,
 non solùm ceruicem gladio subtraxit, verùm etiam,
 constantius eam præbere admonitus, his ipsis verbis
 iurauit: Ita viuam, dabo. Pænè dixerat, Ita viuam, vel
 sub

sub Antonio. O fati cunctationem ærumnosam! ô vanam stolidamque iurisiurandi fidem! Quid prodest illa tam ignominiosa cunctatio? Quid prodest homini supplicem fieri, vt securim tantisper suspendat, cum mors ipsa libratam semper teneat securim, sub cuius ictu rei capitis omnes viuimus, naturæ debitum, omni exemptionis præcisâ spe, soluturi.

Communis illa naturæ lex est, commune tributum ^{Omnibus morientium.} officiumque mortalium. Hoc iter omnes ingredimur: huc series inuicta fatorum, & nullâ mutabilis ope, funebrem trahit pompam. Et est aliquis tam demens, qui se numquam eò peruenturum speret, quò semper tendit? Nullum sine exitu iter est, nullus sine occasu Solis ortus, nulla sine mortis interitu vita. Nec sola senectus inuitabilem hanc trahit necessitatem, omnis illi ætas obnoxia est: non enim citamur è tabulis censualibus, quibus olim notata continebatur ætas vniuscuiusque. Talis olim citatio in militiâ delectuque copiarum obtinebat: at longè aliter mortis vna vertitur. *Nulli iussu cessare licet; Nulli scriptum proferre diem.* Fastusne ille sit, an nefastus, humana discernant tribunalia: mortis certè nihil interest.

Conuoca in consilium Machaonas omnes, conuoca ^{Nullum aduersus mortem remedium.} Chirones, conuoca Æsculapios; nullam aduersus mortem inuenient panaceam. Excute bellorum armamentaria, nullam aduersus hanc violentiam inuenies panopliam: luctare, stringere, ringere, & instar serpentis in mille spiras conuoluere; fatalem hanc necessitatem numquam eluctaberis. Quinimò hoc tantum omni conatu tuo proficies, vt grauius te affligat quod vitari ^{Mors grauior est inuitis.} non potest. Omnis enim indignatio in tormentum suum proficit, ait Seneca: nihilque tam exasperat fer-

B b b b

uorem ^{Seneca l. 3. de Irâ, cap. 16.}

Hegesippus l. 11.

uorem vulneris, ait Hegesippus, quàm ferendi impatientia. Sic laqueos fera dum iactat, adstringit: sic aues viscum, dum trepidantes excutiunt, plumis omnibus illinunt. Nullum tam arctum est iugum, quod non minùs lædat ducentem, quàm repugnantem. Itaque nihil quidquam morti obluendo proficitur, nisi quòd illa, quæ hætenus corporibus tantum minabatur, nunc etiam non vnum animo tormentum machinetur.

Mortis timor nimis.
Val. Max.
l. 9. c. 13.

Idem ibid.

Quot existimamus in animo luctas, & quàm multiplicia tormenta sustinuisse Numidarum Regem Massinissam, qui tamen florens in paucis, liberisque, & Romanorum amicitiam felix fuisse creditur. Hic parum fidei in charitate liberorum ciuiumque benevolentiam repositum esse existimans, salutem suam custodiam vallauit. O miserum! Quò tam latè patens imperium? quò tantum liberorum numerum? quò denique tam arcta benevolentia constrictam Romanorum amicitiam, si ad hæc tuenda nihil canino latratu securius, nihil morsu valentius duxit? Dionysius verò Syracusanus quàm longa est huius tormenti fabula? qui non factis amicis fidens, eorum loco ferocissimarum gentium homines, quibus latera sua committeret, substituit: tonsorumque metu tondere filias docuit. Quarum, postquam adultæ ætati appropinquabant, manibus ferum non ausus committere, instituit vt candentium iuglandium putaminibus barbam sibi & capillum adurerent.

Mors mille viis nos inuadit.

Omitto cetera, quæ tum ille, tum complures alij morti procul habendæ frustra excogitarunt: cum hæc mille viis nos inuadat, mille cuniculis subruat, mille machinis expugnet. Hic in medio voluptatum cursu
sistitur:

sistitur: ille inter epulas opprimitur: alius somnum in æternam producit noctem: huius improbam spem & longa vota mors immatura frustratur. Ille ferro, veneno alius; hic lento catarrhi stillicidio, ille subitâ pestis contagione; hic fluctibus haustus, ille fulmine tactus occumbit. Hac lege viuit, quisquis hanc terram calcat: hæc summos imosque necessitas alligat.

Neque enim vt dispar est hominibus fortuna nascendi, ita dispar est mortalitatis conditio. Conditor ille iuris humani non natalibus nos, neque nominum claritate distinxit, nisi dum sumus: vbi verò ad finem mortaliū ventum est, Discede, inquit, ambitio; omnium, quæ terram premunt, siremps lex esto. Nulla, inquit Ecclesiastes, in die mortis ratio dignitatis aut potestatis habetur. Curauerat Imperator Iustinianus stragulam sibi vestem contexi, in quâ Phrygio opere expressa cernebatur victarum vrbiū, & barbarorum Regum, quos ipse suis auspiciis debellarat, effigies. Sed vestis illa tor victoriis nobilis, dum eiusdem cadauer textit, ad exornandam mortis pompam valuit, mortem ipsam ab eius corpore depellere non potuit.

Despoticum hoc mortis in Principes ac Monarchas imperium cumulatius etiam & supra fidem exaggerarunt Poëtæ, apud quos frustra aliquis diademata, sceptrâ, fasces aut secures obtendit,

Numina cum videat duris obnoxia fati.

Sanè Isocrates complures deorum filios commemorat Troiani belli discriminibus impensos, Sarpedonem scilicet Iouis filium, Memnonem Auroræ, Cycnum Neptuni, Achillem Thetidis; quos omnes illius decennalis belli procella depressit. Quin etiam extra belli tempestatem Iupiter filios suos apud Ouidium, Æacum scilicet,

Seneca
Epist. 91.
Par omnibus mortaliū conditio.

Baron. ad
annum
Iustiniani
39.

Poëta etiâ
Deos mortis
subiciunt.

Martial. l. 9

Isocrates
in Ἐπιστολῶν
ἐπιστολῆς.

Ouid. l. 1.
Metam.

cet, Rhadamantum, Minoëm, inexorabili fatorum decreto interiisse deplorat.

*Frustrâ
Regum fastus & impietas mor-
ti obliuiscantur.*

*1. Machab.
6, 10.*

Vt non inusitata censeri debeant illa Principum Regumque lamenta, insuperabili mortis violentiâ è summo rerum humanarum culmine ruentium: è quorum numero vnicum audite Antiochum Epiphanem, qui, intellectâ suorum clade, mentis ægitudine ad extrema perductus, in has querelas erupit: *Recessit somnus ab oculis meis, & concidi, & corruui corde præ sollicitudine: & dixi in corde meo: In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitia, in quâ nunc sum: qui iucundus eram, & dilectus in potestate meâ. Nunc verò reminiscor malorum, quæ feci in Jerusalem sine causâ. Cognoui ergo quia propterea inuenerunt me mala ista, & ecce pereò in tristitiâ magnâ in terrâ alienâ. Sic impius ille diuinarum humanarumque legum contemptor. quem idcirco libentiùs produxi in medio ætatis flore succisum, non tantùm quia personæ dignitas fastusque regius nihil quidquam momenti habuit aduersum mortis decreta; sed etiam, quia magno suo malo didicit, quod postremò subiungit Ecclesiastes: *Non saluabit impietas impium.* Neque enim si hætenus perfrictâ fronte & indomitâ ceruice diuinæ voluntatis iugum excussit, legumque nexus, tamquam araneorum telas, perripit; inextricabiles etiam mortis nexus, & adamantinam fatorum necessitatem eluctabitur. Non semper dormit diuina Nemesis, nec longa cuiquam contingit in scelere felicitas. Quandoque seuerum experitur Deum vindicem, qui diu mansuetissimi parentis mandata contempsit.*

Igitur vt ad caput nostra tandem recurrat oratio, iisque prosperè cuncta cessura confirmemus, qui diuina præcepta custodierint, nec pœnam iis defore, qui recal-
citrantes

citantes eadem violauerint, vnicam hanc Regij Varis
 Deo ad amissim obsecundantis sententiam subnecto:
Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos, ego au- Pl. 54. 24.
tem sperabo in te Domine.

SECTIO QUINTA.

ECCLESIASTES.

VERSUS 9. Omnia hæc consideravi, & dedi cor
 meum in cunctis operibus, quæ fiunt sub Sole.

• Interdum dominatur homo homini in ma-
 lum suum.

** Fovè
 melius,
 Interim
 dum,*

10. Vidi impios sepultos: qui etiam cum adhuc
 viuerent, in loco sancto erant, & laudabantur
 in ciuitate quasi iustorum operum. sed & hoc
 vanitas est.

11. Etenim quia non profertur citò contra ma-
 los sententia, absque timore vlllo filij hominum
 perpetrant mala.

12. Attamen peccator ex eo quòd centies facit ma-
 lum, & per patientiam sustentatur, ego cogno-
 ui quòd erit bonum timentibus Deum, qui ve-
 rentur faciem eius.

METRICA PARAPHRASIS.

SIDEREI Proceres, æterna conscia lucis
 Pectora, quos adytis fas est haurire sacratis
 Immortale iubar Phæbi, legesque polorum
 Discere, queis nexus fatorum voluitur ordo:

Bbbb 3

Vas